



MELISSA

FOLIA LATINA SECUNDO QUOQUE MENSE EDITA

Editrix ~~.....~~ Diana LICOPPE, avenue de Tervueren 76 ,Tervurenlaan

x Responsālis *cf. LATINITAS 22(1974) pp. 274-277.*
Tel: 734 55 42.

FERIARUM OTIUM

IN VESTIGIIS
PEREGRINATIONIS COMPOSTELLANAE

VINUM "PORTO"
THESAURUS PORTUGALLIAE

Lacteam viam, ut Medii Aevi peregrinatores, sequamini, quae iter monstrat ad Sanctum Iacobum Compostellanum. Plerique viatores huc hodie confluunt ad pulcherrima praestantissimaque urbis aedificia invisenda. Adhuc tamen sunt qui pietatis causa iter faciunt usque ad fanum Sancti Iacobi, cuius dies festus die 25^o mensis Iulii magnificis caeremoniis



fit, crescit

x h

Imprimis notandum est ea vocabula geographica hodierna, quae sunt "PORTO" et "PORTUGAL", eandem originem habere, eamque Romanam. Erat enim tempore Romanorum urbs, in septentrionali ripa ostii fluminis Durii sita, cui nomen "Portus Cale" sive "Portus Calensis". Quae urbs per saecula floruit atque eius nomen, quamvis brevium, hodie manet immutatum: "Porto". Ex eiusdem urbis antiquo nomine oritur nomen "Portugal", quo nunc appellatur tota res publica. Nam, cum Christiani Hispaniam a Mahometanis recuperare coeperunt, conditum est parvum regnum, cuius urbs caput erat Portus Calensis. Cuius regni incolae vocabantur Portucalenses, id quod ex usu factum est Portugallenses. Hodierna res publica "Portugal" Latine denominanda est "Portugallia", quia eius fines omnino non congruunt cum finibus antiquae provinciae Romanae "Lusitaniae" et nulla est inter eas continuitas historica. Nunc de vino!

In parte septentrionali Portugalliae, in regione limitata superioris vallis fluminis Durii, circiter centum chiliometris a Portu Cale, sunt vineae, unde ~~facitur~~ omne vinum "Porto" vulgo appellatum. Cuius vini sapor singularis e peculiari qualitate soli tempestatisque gignitur. Uvae, exeunte mense septembri, carpuntur atque apud vineas prelo subiciuntur. Deinde omne mustum transportatur in Portus Calensis suburbium, secundum meridionalem Durii ripam patenscentem, cui vulgo nomen "Vila Nova de Gaia". Ibi sunt cellae vinariae, ubi praeparatur atque vetustescit

celebratur. Nobis hodie vix fingere possumus turbam peregrinatorum, qui praesertim XI° et XII° saeculo undique Europae, pedestri laboriosoque itinere, usque ad hanc extremam occidentalem "finem terrae" confluebant. Ianta erat fama peregrinationis Compostellanae, ut celebritate aequaret Romanam et Hierosolymitanam peregrinationem.

Insolita tamen mirabilisque erat fabula, qua peregrinatoribus narrabatur inventio sepulchri apostoli Sancti Iacobi Maioris. Qui ~~erat~~ apostolus Iacobus dicebatur iter e Palestina in Hispaniam fecisse. In Gallaeciam pervenit, Iriae Flaviae (hodie "El Padrón") e navi egressus erat atque per complures annos Hispaniae incolis evangelium praedicaverat. Postea, in Iudaeam reversus, ibi martyrium tulerat. Apostoli cadaver, ab eius fidelibus discipulis comitatum, in navem impositum est Ioppes (Jaffa), unde portentosa navigatione in Gallaeciam rediit. Ibi a discipulis sepultus est non longe ab Iria Flavia. Ipsi discipuli postea circum eius sepulcrum sepulti sunt. Quod tamen sanctum coemeterium, cum in Christianos persecutionibus saeviretur, derelictum est et omnino oblitum.

Carolo Magno in Occidente imperante, quidam eremita, nomine Pelagus, circa Iriam Flaviam vitam agebat. Angeli ei revelaverunt reliquias Sancti Iacobi in proximo esse. Eodem tempore lumina divina supra certum locum haerebant, quae apostoli sepulcrum demonstrare videbantur. Theodomirus, tunc Iriae Flaviae dioecesis episcopus, cum suis oculis illa lumina vidisset, ieiunium in triduum indixit, deinde fidelium agmen ad locum luminibus demonstratum praecedit atque ibi Sancti Iacobi "sepulcrum marmoreis lapidibus contextum" invenit.

Quam fabulam Medii Aevi peregrinatores avidissime auscultabant et pro vero credebant. Aequales tamen nostri Michaellem de Unamuno potius sequuntur, qui scripsit neminem, quamvis catholicus sit, nostris temporibus credere posse Sancti Iacobi Maioris corpus unquam in Gallaecia fuisse. Nostra tamen magni interest invenire quomodo talis fabula nata sit atque intellegere cur tam creverit peregrinatio Compostellana.

Quomodo? Dominus Reverentissimus DUCHESNE, vir eruditissimus, rem accurate honesteque indagavit atque ineunte vicesimo saeculo summam inventionum divulgavit. E quibus patet neminem ante VII° saeculo mentionem fecisse de ulla Sancti Iacobi praedicatione in Hispania. Ipsa in Hispania, ubi a IV° usque ad VIII° saeculum tam viguerunt litterae christianae, non tantum nullus auctor de illa praedicatione quicquam rettulit, sed etiam Sanctus Iulianus Tolosanus, exeunte VII° saeculo, plane negavit praedicationem Sancti Iacobi in Hispania, cuius fabula tunc temporis per Occidentem manare coeperat. Ineunte enim VII° saeculo, divulgatum est et in orbem Latinum disseminatum "Breviarium Apostolorum", de Graecis conversum. Ibi primum legitur Sanctum Iacobum in Hispania praedicavisse, id quod videtur ortum esse ab errore translationis. In Graecis enim manuscriptis legitur Sanctum Iacobum sepultum esse sive in Iudaea, sive

Caesareae, sive in Marmarica. Est textus ubi loco εν πολει της Μαρμαρικης legitur

εν ακη της Μαρμαρικης

id quod nihil significat et, in Latinum translatum, factum est "in arca marmorica". Scimus autem ex mediaevalibus textibus illum locum, prope Iriam Flaviam situm, ubi nunc stant fanum et urbs Sancti Iacobi Compostellani, tunc temporis appellari "Arcis marmoricis". Effossionibus sub pavimento ecclesiae cathedralis factis, confirmatum est ibi fuisse coemeterium. Etiam episcopi Theodomiri arca inventa est quae operculi inscriptione dignosci potuit. Hic notandum est nomen "Compostella" ortum esse e verbo "composto" sive "compostela", quo vulgariter coemeterium appellabatur, at non e verbo "Campo Stellae", id quod interdum dicitur. Scimus etiam hoc in loco fuisse ecclesiam nomine Sanctae Mariae appellatam, ubi colebantur reliquiae Verae Crucis et nonnullorum sanctorum, inter quos Sanctus Iacobus. Quae reliquiae videntur VIII° saeculo Iriam Flaviam in Gallaeciam apportatae esse a clericis, qui Emerita Augusta (hodie Merida) a Mauris capta effundebant.

Ergo iam invenimus e quibus materiis fabula Sancti Iacobi nasci posset.

Cur tamen creverit intellegere non possumus nisi respicientes Maurorum Mahometanorum irruptionem in Hispaniam. "Inventio Sancti Iacobi" evenit cum Carolus Magnus in Europa Occidentali imperium restituere coeperat. Tunc temporis, tota fere Hispania in Maurorum dicionem redacta erat. Asturia sola, quae est minima montuosa regio ad litus septentrionale sita, supererat a Mauris intacta.

Anno enim 718°, cum Maurorum exercitus in hanc ultimam regionem pervenisset, Pelagus, fugitivus comes devicti Visigothorum regis, repentino impetu illos in faucibus rivi Devae trucidavit.

Pelagus sepultus est in ipsa cavea, ubi, ante impetum, se absconderat cum parva militum manu. Quae cavea Hispanis adhuc est locus sacer, propter primam victoriam a Mauris reportatam. Locus vulgo appellatur "Covadonga", quod nomen ex "Cavea dominica" ortum est.

Sic factum est ut anno 729° Alfonsus Primus Catholicus Regnum Asturiarum conderet. Quod regnum tamen erat infirmum et seclusum. Spes aucta est cum Carolus Martellus Mauros Galliam invadentes Pictavae (vulgo Poitiers) anno 732° devicisset et praesertim cum Carolus Magnus, anno 778° Pyrenaeos montes transgressus, fines imperii sui usque ad flumen Iberum propagavisset.

Tunc temporis natus est Sancti Iacobi mythus.

Primum fama tulit Sanctum Iacobum evangelium in Hispania praedicavisse. Paulo post narrabatur illum in Gallaecia sepultum esse. Urgentibus Mauris, nuntiatum est corpus apostoli in Gallaecia miraculose inventum esse. Quo miraculo incitatis militibus, Ramirus Primus, Asturiarum rex, Mauros anno 844° vicit, loco vulgo dicto "Clavijo", ad fines Carolini Imperii. Quo proelio, narrabatur splendidum equitem, in equo albo vectum atque vexillum candidum rubra

cruce signatum manu tenentem, se Christianis immiscuisse Maurosque concidisse. Nemo tunc dubitavit quin ille eques ipse Sanctus Iacobus ^{quis et} ~~esset~~. Inde ⁱⁿ Hispaniae recuperandae (vulgo Reconquista) patronus factus est et cognomen Maurorum Confectoris (vulgo Matamoros) accepit.



Via aperta e Carolino Imperio in Asturiarum regnum, peregrinatio Compostellana initium cepit. Anno 950°, episcopus Godeschal primum Francogallorum peregrinatorum agmen usque ad Sanctum Iacobum Compostellanum perduxit. Abbates Cluniacenses Cisterciensesque peregrinationem ordinaverunt amplificaveruntque, cuius culmen fuit per XIum et XIIum saeculum.

Peregrinatorum comaeu Hispania iterum coniuncta est cum Europaeo cultu civili mediaevali. Multi peregrinatores in Hispania remanserunt, ubi stirpem liberorum habuerunt. Tunc temporis etiam structura Romanica, eaque vere Europaea, creata est in viis peregrinationis Compostellanae; quare merito ^{appellata} est Ars Peregrinationis.

Breviter perspeximus quomodo et quam ob rem Medii Aevi occidentales Europaei mythum Sancti Iacobi genuissent. Nolumus ^{illius} ~~huius~~ aetatis homines irridere. Vix minor est nostrorum aequalium credulitas. Permulti adhuc sunt fanatici (vulgo "Fan"), quibus tamen deest magni momenti consilium. Hodierna Europa foederanda fortasse novo mytho eget ...

Gaius LICOPPE

VINUM "PORTO" (sequitur)

"Vinum Portus (Calensis)". Musti fermentatio fit in ingentibus caementiciis cupis; nuper tamen fiebat in giganteis erectis ligneis doliis, quae adhuc servantur ad cellas ornandas. Si fermentatio non intermittitur, omne musti saccharum in alcohol transformatur; sic fit vinum "siccum", ut hodie communiter dicitur cum nulla ^{superest} ~~superest~~ dulcedo. Contra, ad vinum dulce faciendum, fermentum ~~nequandum~~ ^{nequandum} est ante fermentationis finem, id quod fit vino adusto ad duos gradus infuso. Portus vina sunt seu rubra, quae sunt maior pars, seu candida, quae tantum ex uvis candidis facta sunt. Quattuor vini species venales prostant: rubrum semisiccum et dulce; candidum siccum et dulcissimum. Post fermentationem, vinum infunditur in lignea dolia quorum singula sescena ^{litra} ~~litra~~ capiunt; ibi per nonnullos annos vetustescit.

Cum vindemiae qualitate impares sint, vinum minoris qualitatis cum vino melioris qualitatis scienter commiscetur ad mediocrem vini Portus qualitatem servandam. Quibus in lagoenis nullus inscribitur vindemiae annus.

Eveniunt tamen vindemiae eximiae, quarum vinum omne qualitatum genus summo gradu habet. Semel tantum in decennio licet tale vinum, quod dicitur plenum (v. full), non mixtum in lagoenis vindemiae anno inscriptis (v. Vintage) condere, ubi vetustescendo in annos suavius fiet.

Portus vinum, cui circiter 20 alcoholis gradus sunt, diutissime servari potest, praesertim rubrum. In cellis vinariis sunt vina reservata (v. Réserve), quae usque ad 150 annos habent et adhuc optime sapiunt. Tot sunt in orbe terrarum Portus vini amatores, ut magno cum quaestu quotannis perfacile veneat. Rei publicae Portugallensis gubernatores magna vectigalia Portus vino imponunt, e quibus maximas opes trahunt. Quare ^{hoc} ~~hoc~~ pretiosissimum thesaurum vigilantissime curant, ne fraude vel incuria illius nectaris fama minuat.

Prosit vobis!

Diana Licoppe

PAGINA PHILOLOGORUM

AD VERLAINE POETAM.

Hoc verum est, Verlaine: humani causa doloris funditus in nostra mente petenda manet: subterranea vis quae plantae subdola rodit radices, pluviae dum virida arva fovent. Nos subridentes obscura scientia fletus persequitur; laetos, laetitiae properans terminus et, festi spectantes omnia solis, exitus extremae lucis et ultima lex. Sed fortasse iuvat fontes nescire timoris et nobis ipsis fingere falsa pie. Interea, etsi vana mihi, cade, vivida gutta, tectaque fac urbis cuncta sonare diu. Gutta super guttam pluat in terris et in imo corde, super mentis vulnera aperta pluat.

Iosephus TUSIANI Neo-Eboracensis
(die XX mensis Maii, anno MCMLXXXIV)

Pergratas litteras accepimus quae etiam ad "MELISSAE" lectores spectant:

"Cum hodie (Id. Iun.) Novo Eboraco litterae mihi essent allatae, quibus Iosephus TUSIANI, poeta et amicus meus, carmina aliquot subnexerat, ipse ego, versibus quos hisce diebus pepigerat perlectis, facere non potui quin unum dumtaxat melos suave describerem, ut laetitiae et commotionis meae te participarem. Id non solum tuis oculis addixi, sed etiam legentibus singulis universis commentariorum q.t. MELISSA destinatum iri speravi..."

Theodoricus Sacré
Lovaniensis

INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES
G E N O V E F A I M M E

Vix necessarium est Dominam GENOVEFAM IMME lectoribus praesentare, quippe quae pernota sit per orbem Latinum. Egregia est Latina scriptrix, quae laudes honorabiles in Certamine Capitolino obtinuit annis 1973°, 1975°, 1976°, 1977°, 1978°, 1980° et 1984°. In Certamine Vaticano, pro oratione soluta, laudem publicam anno 1980° et numisma argenteum anno 1981° obtinuit atque, pro carminibus, laudem publicam anno 1980° et numisma aureum anno 1983°.

Nonnulla eius carmina divulgata sunt in secunda editione collectivi operis, cui titulus "Carmina Latina Recentiora", quae ^{edita} ~~edera~~ curavit Rainardus Brune.

Etiam narrationem fictivam conscripsit, cui titulus "Saeculorum Transvectio". Quo opere octoginta paginarum facete narratur quid evenerit cuidam antiquo viro mirifice nostris temporibus reviviscenti. Quod opus etiam edidit anno 1976° Domus Editoria Rainardi Brune (Immigratherstr. 40, D- 5653 Leichlingen).

Domina Genovefa Immé libenter Melissa quaeestionibus respondit :

MULIEREM DE EIUS AETATE INTERROGARE DEDECET. PER EXCEPTIONEM TAMEN, SI LUBET, DICES QUO ANNO PARISIIS NATA SIS.

Nata sum anno 1929, nec pudet aetatem aperte confiteri (noli hoc timere) : Nam (si iocose rem tamen serio cogitatam explanare licet) non solum annos, sed ne saecula quidem multi facio : multo enim ampliolem pietatem et familiaritatem et sympathiam erga Senecam sentio quam erga aliquot huius aetatis homines (rectius asinos germanos, quippe qui humano cultui infestissimi sint!)

QUA IN SCHOLA DIDICISTI ?

Primum Latinae doctrinae colorem accepi in provinciali collegio, in vico Confluente (Confolens) inter Lemovices, quia illo infausto anno 1939, patre in bello militante, cum matre apud aviam effugeramus ; dein, cum rediissemus Lutetiam anno 1940, per tres annos in Lyceo Camillo Sée dicato (qui Camillus Sée legem olim tulerat qua puellae aequae cum pueris docerentur) discipula fui ; tum iterum propter bellum, matre pyrobolorum metum non tolerante, in Aquitaniam Palum emigravi, ubi tres ultimos annos usque ad probationem "Baccalaureatum" didici.

QUA IN UNIVERSITATE FUISTI ?

In Burdigalensi Universitate ; denique vero certamen "Agrégation" dictum (quod "mandarinorum" isti dicunt qui selectionem nolunt inter homines) Lutetiae (quia nationale certamen est) vici.

QUI FUERUNT TUI PRAECIPUI PROFESSORES ?

Splendidissimus fuit Petrus Grimal, cui adsidue grata et mansi et maneo et maneo. Semper memor praesertim ero illarum eius eximiarum de Terentianis comoediis doctrinarum, in quibus nos studentes nesciebamus utrum magis miraremur gravissimam scientiam an facetissimos sales. Atque superbiebamus, ut si quid gloriae eius in nos recideret, quod ad eum audiendum nobiscum studentibus concurrebant homines qui nullum certamen parabant, sed pro sola delectatione eum stipabant.

UNDE ET QUANDO TIBI VENIT AMOR LATINITATIS VIVAE ?

Non una occasione sed per varios gradus hunc amorem concepi : Primum in Bibliotheca Palensis Lycei, ubi docebam, unum exemplar "Vitae Latinae" forte adspexi, evolvi, mirata sum ; hoc evenit anno 1967. Nam antea non audieram de Latinitate hodierna. Alter gradus fuit conventus Avennionense habitus, de "Vita Latina" quoque, mense Aprili anni 1969 : nam etsi illo tempore Latine timide balbutiebam, tamen et festivissima mihi visa est haec hominum Latine loquentium congregatio, et ipsa per illos dies adsidue Latine sermocinata sum quasi per necessitatem, cum in eodem deversorio versaretur Austriaca quaedam mulier, quae animose francogalliam petierat etsi ne unum verbum quidem francogallice sciebat, atque interpretes ei adsidue fui in deversorio et in caupona et in viis ... et in tramine, quia hoc modo talem amicitiam in paucis diebus ita fecimus ut me usque ad Lordam secuta sit! Tertius gradus fuit quod Antoninum cognovi et amavi. Nam inter me (Italicum sermonem ignorantem) et eum (francogallicum sermonem parum scientem) Latina lingua fuit simul et prima mutuae cognitionis et postea mutui amoris causa, et necessarius modus quo eum aperiremus. Propterea amor Latinitatis vivae non est mihi res solius mentis, sed res cordis, qua Antoninus et Latinitas mihi stricte consociati sunt.

Ideo studium scriptorum antiquorum etiam intellectuales "sicci" concipere possunt ; at me mulierem mollem Latinitas viva magis delectat, quod per eam et gratissimis amicitias inter gentes et illo Antonini amore donata sum!

QUANDO COEPISTI SCRIPTA LATINA EDERE ET QUIBUS IN PERIODICIS EA EDIDISTI ?

Simul atque "Vitae Latinae" exemplar (quod supra dixi) in bibliotheca vidi et in eo legendo sensi esse etiamnunc homines qui Latine cogitarent et scriberent de rebus hodiernis, cupere coepi idem facere. Itaque illo eodem anno 1967 ad Petrum Grimal (quem videram

commentarios moderari) miseram epistolam cum scriptis meis, rogans ut ea ederet si vellet. Erant primum facetiae et ludi ad animum relaxandum, dein Latina versio "Symphoniae Pastoralis", quam narrationem Andreas Gide composuerat. Sic coepi Latina scripta varia edere in "Vita Latina", dein quoque in "Voce Latina" et in "Latinitate" et in Antonini mei (qui tunc nondum "meus" erat) "Aventino".

UTERISNE LATINITATE VIVA IN INSTITUTIONE TUA IN LYCEO BARTHOU ?

Utor ... tamen minus quam cupio, quia programmatibus certis coerceor et parvo horario. Ut autem discipuli sentiant sermonem Latinum vivum esse, primum paulatimque eos adsuefacio ut breves sententias meas (alias de vita scholastica nostra, alias de textibus antiquis lectis) intelligant; dein eos incito ut Latine brevibus quoque sententiis mihi ipsi respondeant; atque commentarium "M.A.S." (Memento Audere Semper), adiuvante et suadente Antonino, eos componere iubeo.

QUID DE HAC RE TIBI VIDENTUR CENSERE DISCIPULI ?

Eos quasi cunctos videtur iuvare quod eos Latine alloquor; ut vero eorum responsa accipiam, paulo difficilior est: pauci sane hoc sua sponte et libenter agere conantur, plerique Francogallice volunt respondere, quibus ego: "Te non intellego, inquam; finge me esse alienigenam!" At istam pigritiam quaterre difficile est. In commentario ipso componendo, laetantur quod hoc modo colligari possint cum pueris

aliarum gentium. Multum vero et diu nonnulli sunt hortandi ut laborem constanter perficiant. Valde laetantur de exitu (ubi vident commentarium cum suis scriptis impressum; ubi accipiunt lectorum epistulas); multi vero velint hoc obtinere posse sine labore!

Aliquando tamen veras laetitias accipio, si exempli gratia qui discipulus mihi incognitus ex improvise adducitur ab uno e meis, atque "Licetne, inquit, per unam horam Latinae doctrinae adesse? Nam mihi amicus dixit te modo vivo rem tractare."; vel si qui discipulus mihi ignotus quoque per unum e meis mittit aliquid suum in "M.A.S." edendum: haec enim mihi sunt documenta quod de Latinitate etiam extra scholas colloquuntur et nonnulli pro voluptate sua extra tempus scholasticum Latine laborare sua sponte voluerunt. Utinam hoc spontaneum studium augeatur!

COMPARASTINE ALIQUID NOVI?

Duo manuscripta habeo parata, ad quae edenda quaerodum editoriam.

Primum constat e carminibus trilinguibus, quibus titulus: "Amatoria periegesis, Voyage d'Amour, Viaggio d'Amore". Ego versus Latinos et Francogallicos composui. Quod opus ~~adhuc~~ ^{ab hunc} edi non potuit, cum Dominus Tarantelli, editor Italus qui id edendum me rogaverat, inopinate mortuus esset ante rem peractam.

Secundum continet narrationem facetam, cui titulus "Satiricon", ubi Petroniana vestigia sequor ad mores nostros irridendos. Quam narrationem primum Latine conscripsi, deinde ad linguam Francogallicam adaptavi.

LATINUM MATRIMONIUM

*Propter simile Latinitatis studium inter se cognoverunt ...
Latino sermone mutue scripserunt ...
Latino sermone alter cum altera sermocinati sunt ...
Latino sermone mutue amari coeperunt et perrexerunt ...
Latino sermone ante Deum hominesque sacris matrimonii vinculis coniuncti sunt in Villae Sanctae Caeciliae sacello Vitinae - Romae die 31 Iulii mensis, anno 1978
Latinum sermonem sibi coniugalem cottidianumque sermonem in futurum fore, sicut adhuc fuit, constituerunt, libentissime postposito Italico Francogallicoque sermone.*


ANTONINUS IMME' et GENOVEFA METAIS nata DURON.

Huius igitur posteriora scripta nomine "Genovefa Imme'" ob signatum iri nolite mirari, sed omnes cum novis coniugibus laetamini, o vos qui Latinitati studetis!

*Cursualis coniugum inscriptio: "Horti Arcadici - aedes 706 - Via Rectoris Sarrailh, n. 21
64000 PALLI in Francogallia*

IN MEMORIAM PROFESSORIS RENATI FOHALLE

fax
 18
 ompe-
 etant
 Illi, qui primo seminario Latino Vestendae ad litus Belgicum anno 1983° habito intererunt, valde mirati sunt inter participes Professorem Renatum Fohalle inveniri virum octoginta quattuor annos natum. Quamvis tumeris incurvus et aetate debilitatus, sanam mentem et animum quasi iuvenilem servaverat. Sodales, qui una cum illo iucunde seminarium perticipaverunt, magna tristitia didicerunt ^{con. h. h. h.} illum superiore vere mortuum esse. Quorum sodalium nomine, Francina Vermeulen illius vitae res gestas adumbrat :



publica universitate professor fuit, tamen in multis privatiss saepe invitatus erat ut extremis discipulorum examibus adesset : erat enim homo qui indulgentissimus pro iustitia et vitae privatae verecundia semper contendit.

Cum numerosam familiam haberet, eximiam personam in familiarum associetate tenuit ubi conscientiae libertatem indulgentiamque defendere non desinebat.

Multum quoque ei placebat cantare iique qui Vestendensi seminario praeterito anno adfuerunt, eius cantuum bene memores erunt.

Ultimo desiderio suo, Vindobonam revisere, unicam Europaeorum urbium quam minus cognoscebat, satisfacere non potuit quia, deficientibus viribus, in nosocomium ductus est ubi duas septimanas permansit. Post quas, domum regressus, paulatim usque ad extremum vitae gradum dulce pervenit.

Vita perfunctus est die nonidensis maii anno 1984°. Ultimum vale tibi mittimus. Sit tibi terra levis."

Francina Vermeulen

SEMINARIO SELESTADIENSI ADERAT MELISSA

Dominico die 22° m. Iulii, Francina Vermeulen, Francisca Deraedt et Diana Licoppe una Selestadium advennerunt, velut industriae apes examinis "Melissae".

Seminarium Latinum Selestadiense iam ante complures annos institutum est. Quotannis iidem assidui participes adveniunt, proximitate amoenitateque Alsaciae allecti. Nonnulli tamen novi participes erant, praeter Francinam et Franciscam : Domina Catharina Demerson (e Francogallia, id quod infeliciter nimis raro evenit), Domina Annalisa Geipel et Domina Ilsa Koppe, Hannoveranae, quae ambae circuli Latini Doctoris Krüger sunt sodales. Selestadii ergo congregabantur 26 participes e quinque Europae nationibus oriundi, Germania, Helvetia, Italia, Francogallia et Belgica.

Dr P. Caelestis Eichenseer seminarium moderabatur; antemeridiano tempore participes de rebus cottidianis interrogabat, verba nova proponebat, difficultates grammaticales explicabat, multis exemplis adhibitis.

Erat tamen aliquid novi in seminarii institutione. Sessionem postmeridianam moderabatur Nicolaus Gross, assistens academicus in studiorum universitate Saraviensi.

Ille, cum vivens anno 1984°, recordatus est librum ante multos annos a Georgio Orwell, Anglico auctore, scriptum, cui titulus "1984" et ubi modo imaginario narratur quid eventurum sit anno 1984°.

Quare ei in mentem venit materiam in sessionibus proponere e fabulis utopicis Aetatis Renascentium Litterarum ortam. Nonnullas paginas legit ex Thomae Mori Utopia, ex Thomae Campanellae Civitate Solis atque ex Francisci Bacon Nova Atlantide. Post textum optima cum articulatione accentuque lectum, nonnulla verba explicabat et postea cum participibus de rebus singularibus grammaticis philologicisque disputabat. Quod tamen multis participibus nimis difficile visum est. Erat latinitas viva philologis apta.

"Gratias ago filiis Professoris Renati Fohalle, quae me domum suam invitaverunt, ubi de patre loqueremur. Natus est die duodecimo mensis maii anno 1899 Viroviaci Tungrorum (v. Verviers), ubi secundaria studia eminenter peregit. Deinde, Leodii in universitate Philologiae classicae diploma obtinuit, quo permissus est ut variis in secundariis scholis francogallicam, Latinam Graecamque linguam doceret.

Dum Thudini (v. Thuin) docet, simul Leodii orientalia studia persecutus est post quae, bursa obtenta, Parisinam universitatem, id est Sorbonam, adiit, ubi in Linguisticam incumberet. In Belgicam regressus, Leodii in universitate indoeuropaeorum linguarum comparatarum grammaticae Latinae Graecaeque institutiones exposuit. Ei quoque accidit ut Linguisticae generalis linguarumque veterum methodologiae cursus dispensaret.

Postquam quintus annus ad psychologiae studia perficienda impositus est, linguisticae cursu primo in anno perfunctus est.

Semper Latinae linguae memor, professoris Hubaux vice functus est ut pro eius valetudine adversa, Latinae linguae primoribus in candidatis cursus faceret.

Usque ad ultimum vitae suae annum linguae Latinae et Graecae professorum generalis conventus particeps fuit ibique de illarum necessitate variis verbis interdumque iocosis disserebat.

Anno 1930° uxorem duxit quae ei septem liberos, sex filias et filium unum, qui paulo ante patrem suum ex vita decessit, dedit.

Duae ex filiis eius mecum de patris indole verba fecerunt quae vobis propono :

Tantum erat linguae Latinae amor ut saepe accideret ut filiis suis chartulas Latine scriptas mitteret.

Quamquam in scholis publicis officium exercuit et in publica

NUNTIA EX ORBE LATINO

Litteris die 23^o m. Iulii datis, sodalis noster Lucas Willemarck, qui nunc Dublini in Hibernia munere suo fungitur, nobis nuntiat se epistularum commercium Latine instituisse cum universitatis studiorum Dublinensis Professore Mitchell. Cuius ex epistula vobis expiscamur haec:



UNIVERSITY OF DUBLIN

SCHOOL OF CLASSICS

Office: 5034 Arts Building,
TRINITY COLLEGE,
DUBLIN 2

Tel 772941
Ext. 1208

Quanta laetitia accepi epistulam tuam in qua de statu linguae Latinae in Hibernia quaeris! Nimum raro his temporibus hanc linguam locupletissimam copiosissimamque necnon etiam elegantissimam in usu videmus, praesertim inter eos quibus, sicut tibi, contingit ut negotia foederaque inter gentes tractent, quibusque sermo et expositio rerum dilucida cum gravitate maxime colenda est.

Multi in hac insula exstant qui Latine facete et facunde scribere possint, pauci autem sunt ad dicendum exercitati. Neque talis exstat circulus qualem describis. Studia Latina autem in Universitatibus florent, et multa colloquia variique conventus quotannis habentur ad res multiplices Latinas disserendas.

Spes autem est ut schola aestiva Latina Dublinii brevi condatur.

Domina Genovefa Imme nobis nuntiavit novam societatem Latino sermoni promovendo in Francogallia conditam esse. Cuius nomen atque inscriptio cursualis est haec:

VOX EUROPAE (Association pour la promotion du latin comme référence linguistique européenne)
29, rue Aviateur Le Brix / 13900 Marseille / France.
Initium folii nuntii vobis excerptimus :

VOX EUROPAE Mense Januario, anno 1984
Societas Latino sermoni promovendo
ut fiat linguisticum Europae vinculum

**Poteruntne Europaei per Latinum sermonem
mutue melius cognoscere ?**

Per hos XX annos etiam etiamque plures relationes in Europa factae sunt atque multis Gallis datum est ut itinera vel negotiosa vel voluptuaria facerent in Europaeae communitatis regiones, quales sunt Germania et Britannia et Italia, ut his solis finitimorum populorum exemplaribus utamur.

His videlicet relationibus per meliorem difficultatum hominumque comprehensionem omnes certius senserunt se eiusdem generis familiaeve esse; unum tamen inter Europaeos restare videtur obstaculum grave : linguarum diversitas.

Aliquot certe Britannica vocabula hanc summam difficultatem sollevare interdum possunt; quod vero iste sermo inter omnes gentes usurpatus est, id ad Europaeae communitatis sensum minime opportunum est.

Si vero qua alia lingua proprie Europaea (qualis est Germanica Italicave) seligatur quae selectio aliquando considerata est - inde verisimillimum est similitates orturas esse implacabiles, sicut miserabilime apparet in rixis quibus in Belgio Flandri Vallonesque discordant.

Denique experti sumus quam parvi momenti linguas artificiales alias et Zamenhofianam (quam "esperanto" vulgo dicunt) plerique facerent, quamvis benevolum fuisset auctoris consilium.

Quae cum ita sint, cur non instauremus eam Europaeam consuetudinem, quam omnes per saecula consuevimus, ut nostris vernaculis linguis adderemus communis Latinae linguae elementa ?

Dominus Patricius Bougy, praeses societatis cui nomen "Association des Professeurs de langues anciennes de l'Académie de Caen" ad nos pergratas litteras misit. Inter alia scribit se favere velle commercio Latino instituendo inter discipulos sui Lycæi Malherbe et discipulos aliarum scholarum. Monemus ergo magistros qui cupiant discipulos suos incitare ad tale commercium instituendum ut scribant ad Dominum Patricium Bougy, 11, résidence Olympia / 14000 Caen (France)

h9

DE SEMINARIO BOTTROPENSI

Dominus Rochus Habitzky, qui circulum Latinum diligenter in Germaniae urbe Duisburg curat, auspiciis Societatis Latinae seminarium ordinavit Bottropii, in urbe Rhenaniae Vestfalicae a die 29^o m. Iulii in diem 11 um m. Augusti.

Nos, tres circuli Latini Belgici sodales, exeunte prima septimana, iter Bottropium fecimus ad consuetudinem cum participibus iungendam. Advenimus Veneris die, hora quarta, cum sessio postmeridiana indidabatur. Aderant circiter viginti participes, plerique e circulo Latino Domini Rochi Habitzky. Omnes erant Germani, praeter duos ^{PS}Nederlandenses, coniuges. Nonnulli participes nobis iam erant noti, plerique tamen ignoti. Multi intererant iuvenes. Maxima cum humanitate accepti sumus.

Dr P. Caelestis Eichenseer, qui seminarium moderabatur, omnes participes singillatim pro sua consuetudine alloquebatur interrogabatque. Interdum aliquem vitiosi pronuntiatus admonebat, quia omnino necessarium est pronuntiatum quam rectissimum adhibere ut facile inter se intellegant homines diversarum gentium.

Dominus Adalbertus Böning, vir doctissimus et linguae Hebraicae etiam peritus, qui superior^{te} seminario Vestendensi cum filia interfuit, coram dixit se ante duos annos latinitatem vivam invenisse. Libenter ex eius ore audivimus illum antea putavisse Latine loqui ineptum esse, postea tamen sententiam suam mutavisse et in dies ipsum libentius Latine locutum esse.

Cena iucunde una sumpsimus. Aedes, ubi habebatur seminarium, sunt amoenae, commodae atque ante viridarium sitae. Vespere Rudentis opus cinematographicum e videocaseta monstravimus; deinde Marius Alexa etiam magnetoscopio monstravit iocosum ludum Latinum, quem composuit et cum discipulis suis egit. Postea oecum potorium adiimus, cuius ornatio fingit specum fodinae carbonariae; sunt enim Bottropii tales fodinae. In oeco diu sermocinati sumus.

Saturni die sessionem Latinam matutinam etiam participavimus. Post prandium participibus in animo erat Coloniam Agrippinam petere, ad perpulchrum museum Romanum invisendum. Nobis tamen tempus iam erat valedicendi et redeundi....

Francina DERAEDT, Diana Gaiusque Licoppe.

QUAE A MELISSA PETI POSSUNT

VENEUNT APUD "MELISSAM"

- OPUS CINEMATOGRAPHICUM, e comoedia Plautina cui index "RUDENS", in videocasetis, generis "V.H.S." vel "Betamax" vel "Video 2000" eisque systematis PAL Cuiuscumque generis videocaseta cum textus libello venundatur 4900francis Belgicis.

Cum iam videocasetae expetitae sunt etiam ex longinquis regionibus, velut America et Nova Caledonia, monere debemus haec :

- videocasetae systematis francogallici SECAM etiam peti possunt, sed earum pretium maius est, id est 6000 franci Belgici
- videocasetae generis Americani N.T.S.C. etiam peti possunt, sed earum pretium est 11 000 franci Belgici
- Ad videocasetarum pretium accedunt expensae cursuales.

Etiam exstat phonocaseta cum libello, cuius pretium est 550 franci Belgici.

Quae res peti possunt a sede MELISSAE,
Av. de Iervueren, 76, Iervurenlaan -1040 Bruxellis - BELGIUM
Pecuniae mittantur ad sedem nummariam, quae est haec:
Argentaria Bruxellensis : B.B.L.
Computus: LICOPPE - MELISSA 310-4209741-27